Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26236
Copyright: Admont, Benediktinerstift

mens. Separantur enim a mente hec aliquando et cum affuerint recedunt et redeunt tamen cum abierint et variantur circa ipsam, nec tamen sunt idem cum ipsa, sed quasi affectiones quedam et forme ipsius quibus non sit hoc aliquid esse sed adesse tamen ei quod est hoc aliquid. Itaque cum sit hoc ipse persona, hec autem tamen affectiones quedam adherentes persone et circa ipsam existentes et variantes, non est omnino eis proprium esse persona, sed persone inesse tantum. Cum autem que in deo sunt aliud ab ipso esse non possint, neque quasi accidentia aut affectiones extrinsecus mutabiles aut separabiles natura incommutabili essentie, et cui idem sit totum esse quod est, convenire tamen in eo videtur ut predicantur et tres unum esse et proprium idem esse et eternum et perfectum asserantur. Et dicuntur tria tres persone, non tres essentie, quia natura in tribus est perfecta singulis et tribus individua. Et ideo dicuntur persone singule quod deus sit et unus deus tres, quia una divinitas in tribus.

Quare potentia patri attribuitur, sapientia filio, bonitas sive benignitas spiritui sancto.

Et attribuitur patri potentia et filio sapientia et spiritui sancto bonitas, et discernuntur que communia sunt, in quibus non dicitur quidem quod non est, tamen quod est tacetur, ne credatur quod non est. Dicitur enim pater potens et est pater potens, et non solus pater, quia potens est pater et filius et spiritus sanctus. Et non tres potentes, sed unus potens, quia potentia una, natura una et substantia una. Et est filius sapiens, sed non solus, quia sapiens est pater et filius et spiritus sanctus, et non tres sapientes, sed unus sapiens, quia sapientia una, natura una et substantia una. Et dicitur spiritus sanctus benignus et bonus, et est quidem benignus et bonus spiritus sanctus, sed non solus spiritus benignus et bonus est, sed bonus est et benignus pater et filius et spiritus sanctus. Nec tamen tres benigni et tres boni, sed unus benignus et unus bonus, quia benignitas una et bonitas una, natura una et substantia una. Sed cavit scriptura conscientie humane ne erraret modo suo similia hominibus que non erant in ipso arbitrans. Quoniam ab hominibus sumpta erant vocabula que data non ad omnem similitudinem significanda que dei erat super homines. Et erat aliquod simile ibi ne mutatio aliena esset, sed non totum ne idem crederetur quantum differebat. Et dictus est in divinitate pater, quoniam ibi erat a quo erat quod de sua substantia erat. Sicut qui gignit de sua substantia gignit, et non est quod gignit ipse quem gignit, sed alter ab altero et non altera natura gignentis et geniti. Et erat in hoc similitudo inter divina et humana, et propterea ex hoc dictus est pater et filius, quia genuit ille et iste genitus est, et non est qui genuit pater ille quem genuit est filius, et tamen quia natura una est gignentis et geniti et substantia una, non aliud est gignens age